

quibusdam Typographis Bibliorum Editionibus adjectos fuisse notum est.

II. fol. 68. manu Sec. XIV. sequuntur *Castigationes* et *Variae Lectiones S. Bibliorum*, ordine Librorum Vtriusque Testamenti; ex hebraico et graeco Textu atque antiquioribus Interpretibus collectae. Prooemium incipit: *Litterarum sacrarum latino interprete beato jeronimo in epistola ad Suniam et fratellam fratres de greci correctione psalterii attestante: sicut nouo testamento si quando apud latinos questio oritur uel inter exemplaria varietas est, recur-*

Iste liber est scriptus qui scripsit sit benedictus. amen.

Autorem nullo vestigio deprehendi, qui certe aevo suo sacras Litteras feliciter excoluit, quam tot συγγεγραφοι Allegoriarum Venatores, quibus nulla hebraeae, graecaeque eruditionis adipiscendae cura dicam? an opportunitas fuit.

CLXXIX. *W.D. 6.*

216 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 353. f. currente calamo exaratus per duas columnas continet sequentia: I. Lexicon Biblicum, quod *Mammotrectus*, *Mammetractus*, *Mammotreptus* vulgo audit, quo nomine Autor ipse sub finem *Praeloquii* illud appellat a *mamma*, si quid divino, *trabenda*; de *Parvulis* enim loquitur. Est vero is *Johannes Marchesinus Regio Lepidi* ortus O. M. quem alii circa 1450. *Wad-*

rimus ad fontem greci sermonis &c. Methodum Autoris habe in principio *Geneseos: Genesis 1. ca. a.* (antiqui Interpr.) *terra autem erat inanis et uacua. et tenebre* (Vulg. erant) *super faciem abyssi et spiritus dei ferebatur. Item a. et diuisit deus* (Vulg. omitt.) *lucem a tenebris. hebreus et antiquiores et grecus habent deus &c.* Ultima *Apocalypseos: Item f. et spiritus et sponsa. grecus. anti* (qui) *habent. Infra et qui uult. Infra contestor enim ego. anti habent. Item. c. plagas scriptas. anti. in libro isto. Infra partem eius de libro uite.*

dingus circa 1300. claruisse uolunt, id, quod similius uero uidetur, ut dixi in *Memorab. Bibl. Garell.* p. 79. Opus ab editione principe *Moguntina* anni 1470. f. saepenumero usque ad barbariei profligationem typis commissum notius est, quam ut descriptione egeat. Illud obseruo, expositionem *Psalterii* in *Cod.* nostro suo loco inter Partes V. T. haberi, cum in *edit. suprac.* post N. T. occurrat. Prolegomena item illa *Biblica de Mensibus Hebraeorum, de Festiuitatibus legalibus, de uestibus Sacerdotalibus &c.* quae in *edit.* extremum locum occupant, nostro in *Cod.* statim Bibliis subiecta esse, denique desiderari in eo *Tractatum de Accentibus et Declarationem Regulae S. Francis.*

II. fol. 184. Nomenclator latino germanicus ordine Alphabeti, ad ipsum, ut videtur, *Mammotrectum* adcommodatus, qui incipit: *Abstractum abgezogen, oder abgeschaiden oder gefriget. Accio wurchunde chrafft in der materi. Accidens Zuval oder ein geschicht oder aines wesen schein &c.* et finit: *Zima vrbab oder saubertaig. Zonolarius gürtler, multaue Glossario opportuna continet.*

III. fol. 200. *Antonii de Rampigollis, Rampegolis, Rampeloggis, Ampigollis Januensis O. E. S. A.* qui in confinio Sec. XIV. et XV. scripsit, *Figurae Biblicae* hoc titulo: *Incipit Liber figurarum. Praefamen: Religiosis viris in christo dilectis neapolitani conventus heremitarum sancti Augustini frater Anthonius salutem in domino. Dilectioni vestre postulata conferens &c.* Exemplar mancum, primos tantum titulos: *Abstinentia, Accidia, Adulatio, Amicitia, Angeli, Apostoli, Ascensio, Avaricia*, complexum, quodque distinguendum est ab *aureo Bibliorum reportorio*, licet et huic tam in edit. antiquissima *f. l. et a. f.* quam in *Creusneriana Norimb. 1481. f.* idem, quod mirum, praefixus sit *Prologus*, ac ipsis *Figuris* nostris. Idem dic de edit. *Ulmensi* per *Job. Zeiner 1475. f.* quae *Reportorium* illud *Aurea Biblia* appellat. De Fatis et editionibus ipsarum *Figurarum* vide post *Dominic. Gandolphum de Scriptt. August. p. 69. Ossingeri Biblioth. August. p. 732.* qui ta-

men Editionem *Colon. 1505. 8.* quae mihi objacet, ignoravit. Ceterum falsus est *Mansus* in addit. ad *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat. L. I. p. 130.* eas cum *Bibliis aureis* idem opus putando. Neque meminit earum *Fabricius*.

IV. fol. 212. Tractatus, cui minio inscriptum: *Nota hic de Herefi Waldensum.* Initium: *Cum dormirent homines venit inimicus eius et superfeminavit Zisania in medio tritici. Sic scribitur Math. XIII^o. Licet dominus et saluator noster dominus ihesus christus per inimicum hominis &c.* Naetus erat *Jac. Gretserus* bina olim Tractatus hujus Exemplaria ἀνεκδοτα manu scripta et jam prelo subdere coeperat *Ingolstadii 1612.* cum illi tertium e Monasterio *Tegernseensi* adferretur insignitum nomine Autoris *Petri de Pilichdorf* theologiae Professoris, *Coloniensis*, ut addit *Jöcherus* in *Lex.* sed quem in *Harzbemii Bibl. Colon.* frustra quaeras. Aetatem illius una cum Operis titulo eruimus ex eo, quod ad calcem memorati Exemplaris legitur: *Expliciunt obuiationes sacrae Scripturae erroribus Waldensum Anno Domini MCCCCXLIV.* et reapse singulae *Waldensum* opiniones singulis Bibliorum effatis impugnantur. Ex *Gretseri* editione Tractatus cooptatus est in *Bibliothecae PP. Lugdun. T. XXV.* ubi a p. 277. decurrit. Extat quoque in *Gretseri Opp. omn. T. XII. P. 2.* Lectionem *Cod. nostri* subinde ab editis differre, non est, quod moneam.

V. fol. 233. Sermo de S. Maria Magdalena seu de Poenitentia, qui incipit: *Rogabat autem ihesum quidam phariseus, ut manducaret cum illo. Luc. 7. Hic narratur, quod occasione miraculorum fuit quedam peccatrix s. maria magdalena ad christum conuersa &c.* Prolixus est, sed Autor subticetur.

VI. fol. 240. p. 2. rubro: *Incipit tractatus bonus De corpore christi.* Initium: *De sacro sancto corporis christi locuturi sacramento proponimus donante Deo procedere tali modo. Primo ponimus &c.* Opusculum S. Thomae Aquinatis est in *Capita* seu *Sermones* XXXII. distinctum, quod extat *Opp. T. XVII. Romae 1570. fol. 43.* inter Opuscula numero LVIII. sed ibi deest *Praefatio*, cuius prima verba mox dedimus, et in principio alia quaedam aliter sunt disposita. Ad calcem nobis: *Explicit opusculum compendiosum fratris Thome s. fratrum ordinis predicatorum de excellentissimo sacramento hoc est tam de corpore et de sanguine Domini nostri ihesu christi.* Saepius redit, ut docet *Index.*

VII. fol. 287. p. 2. Tractatus a secunda manu inscriptus: *Augustinus de conflictu viciorum.* Initium: *Apostolica vox clamat per orbem &c.* Tractatus hic olim jam *Augustino*, jam *Leoni*, jam *Ambrosio*, demum *Isidoro* tributus extat in *Append. T. VI. edit. Maur. Opp. Augustini col. 219.* sub titulo *Conflictus vitiorum et Virtutum*, putaturque ab Edito-

ribus pertinere ad *Ambrosium Autpertum* Abb. *Beneventanum* Sec. VIII. Nobis finit in illis C. 26. verbis: *Cupio dissolvi et esse cum Christo, qui christus Dominus noster dulcissimus perducatur nos ad regnum suum. Amen.* Et recte, si quid video; ultima enim duo in editis *Capita* perperam adfuta facile quis sibi persuadebit. Aliud Exemplar obvium iterato. Vide *Indicem.*

VIII. fol. 293. p. 2. absque titulo incipit *Liber de Fide ad Petrum*, quem ad *Codices* varios diximus esse *Fulgentii Ruspensis*, haberique in editionibus *ibid.* citatis. *Caput XLV.* ab isto quoque Exemplari abest, quod recte incipit: *Epistolam fili petre tue caritatis accepi &c.* et finit: *et si quid aliter sapit hoc quoque illi deus reuelauit.*

IX. fol. 307. absque titulo *Expositio Symboli Apostolorum* contexta praecipue ex locis *Augustini Serm. CCXII. T. V. P. 2.* et *Serm. CCXLII. in Append. ejusd. T.* Initium est: *Queso vos fratres karissimi ut nobis referantibus expositionem symboli attentius audiat &c.* Finis: *sed sub hac breui forma fidelibus confitendum est.* Adhaeret I. fusior *Expositio* τϠ *Omnipotentem* ex eodem *Symbolo*, quae incipit: *Ostendimus fratres dilectissimi ut uestra certe dilectio recordatur &c.* et finit: *Quod dominus noster ihesus christus in nobis secundum bone voluntatis studium perficere dignetur, cui est gloria &c.* II. *Fidei Professio catholica* LV. articulis confians

ftans in *Synodo* quadam, ut videtur, post *Seculum V.* edita. Incipit a myfterio *Trinitatis*: *Credimus vnum Deum esse patrem et filium et spiritum sanctum &c.* et definit in *Articulis* sequentem: *Propter nouellos legiflatores qui a deo animam tantum ad ymaginem dei creatam dicunt vt quia deus incorporeus recte creditur eciam anima incorporea esse credatur, libere confitemur, ymaginem in eternitate, fimilitudinem in moribus inueniri.* Adiectum minio: *Et sic est finis. Explicit diffinicio ecclesiastica.* Haeretici, qui per decurfum passim notantur, sunt *Arius, Nestorius, Hebion, Aetius, Photinus, Anthropomorphitae, Bonosiani, Jovinianus,* alii.

X. fol. 318. rubro: *Tractatus de modo predicandi.* Incipit: *De modo predicandi dicturus Notabilia sex premitto. Primum est quid fit predicatio. 2^m predicatio nis commendacio. 3^m quas causas habeat predicacio. 4^m quis habeat predicare. 5^m qualis debeat predicator esse. 6^m Vbi et quando predicator debeat predicare.* Expeditis his sequuntur practica de assumptione thematis, diuisione, argumentis, amplificatione &c. Ultima sunt de cautelis oratoris et Peroratione, quae sic finiunt: *ut refici mereamur cena spirituali in presenti et eternali in futuro. Quod nobis concedat pater &c.* Adiectum bohemicè minio: *Pomoz pane myly boyze. i. e. Adjuua Domine care Deus.* Quod, si non autorem, saltem Librarium ejus Nationis prodit. Libellus non pa-

rum cum eo congruit, quem *Thomae Aquinati* tributum typis dedit *Fridericus Creuffner Norimb.* 1473. f. quin ejus exemplis passim utitur.

XI. fol. 351. Sermo Anonymus de *Dedicatione Templi* in illud Pf. 47. *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.* Initium: *Nos videmus, quod quando paterfamilias reuertitur ad domum suam &c.* Finis: *ut nunquam ab eo separari ualeamus.*

CLXXX. VII B 9

Codex membraneus lat. Sec. 86^o XIV. Folior. 57. f. per duas columnas litera minutiore exaratus, fronte auro coloribusque florulenta continet *Johannis Calderini* celebris Jcti Bononiensis Sec. XIV. *Tabulam dictionum Biblicarum in Decreto Gratiani et Decretalibus adductarum* ordine Alphabeti dispositam hoc ingressu: *Seriem huius tabule. continent. auctoritates. et sententias biblie. prout in compilationibus. decretorum et decretalium inducuntur insinuat. dictionum dispositio regulata ordine alphabeti &c.* Et paullo post, si quis defectus observatus fuerit: *Ego Johannes Calderini minimus decretorum doctor huius opusculi fabricator illos suppleri precor. ordine prelibato.* Tabula ipsa incipit: *A a a Require loqui. d.* et finit in voce *Zizania*, cui haec subjicitur clausula: *Explicit tabula auctoritatum et sententiarum biblie inductarum in compilationibus decretorum et decretalium quotarum.*